



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

116. An Inquisitores possint punire supradictis pœnis filios natos ante
hæresim parentum? Ex p. 4. tract. 8. res. 74.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

cios publicos, ni sean Ivezes, alcaides, regidores, Iurados, Mayordomos, Maestrelas, peladores, publicos Mercadores, ni Notarios, ecrivanos publicos, Abogados, Procuradores, Secretarios, Contadores, Cancellarios, Theforeros, Medicos, Cirujanos, Sangradores, Potarios, ni corredores, cambiadores, fieles cogedores, ni arrendadores de rentas algunas, ni otros semejantes officios que publicos sean, o dezir se puedan, ni usen de los dichos officios por si, ni por otra persona, ni foyerro color alguno, ny traygan sobre si, ni en sus, atavios, vestiduras, y cosas que sean insignias de alguna dignidad, o milicia Ecclesiastica, o seglar.] Sic ibi.

2. Et adverte, quod quoties dubitatur quid nomine publici officij intelligatur, à quo hæretici, & eorum descendentes excluduntur, ad Inquisitores, vel ad eos una cum Episcopo id pertinebit declarare, ut docet Pegna in *direct. part. 3. comm. 8.* & Narbona in *recop. lib. 4. tit. 1. leg. 20. gloss. 20. n. 108.*

3. Notandum est etiam hic à fortiori, supradictos filios hæreticorum inhabiles esse ad beneficia Ecclesiastica recipienda, ita ut hæc inhabilitas ipso iure incuratur, & collatio beneficii illis facta irrita sit, ut habetur expresse in *cap. 2. de hæret. in 6.* Vide Ricciullum de *iure personar. c. lib. 5. cap. 29. n. 2.* Sanctarellum de *hæresi cap. 35. dub. 2. n. 21.* Pegnam in *direct. Inquisit. part. 3. comm. 63.* Rojas de *hæret. p. 2. n. 336. & seg. Simancas in cathol. instit. tit. 9. c. 29.* & alios penes ipsos, & hæc inhabilitas procedit non solum, ut dictum est, in ordine ad beneficia obtinenda, sed etiam quoad pensiones, ut notat Gasias de *benef. tom. 2. p. 11. cap. 10. §. 1. n. 74.* Sanchez in *summa tom. 1. lib. 2. cap. 28. n. 35. & 36.* & alij, locis cit. præcipue Ricciullus. Sed ex his oritur magna quæstio, ideo quero.

RESOL. CXVI.

An Inquisitores possint punire supradictis penis filios natos ante hæresim parentum? Ex *part. 4. tract. 8. Ref. 74.*

Negativè respondent Doctores, quos citat & sequitur Sanchez in *sum. tom. 1. lib. 2. cap. 27. n. 14.* quibus addo Torreblancam de *magia lib. 3. c. 12. n. 48.* & Sanctarellum de *hæresi cap. 34. dub. 1. num. 11. in fine.*

2. Mihi verò magis placet affirmativa sententia, quam tueretur Doctores, quos citat & sequitur Barboza in *collect. tom. 3. lib. 5. tit. 2. cap. 15. n. 3.* & Ricciull. *tr. de iure personar. c. lib. 5. cap. 30. n. 27.* ubi ita testantur determinasse sacram Rotam Romanam in una *Conchen. pensionis 6. Marty 1598.* coram Peregrino. Vide etiam Suarez de *fide disp. 43. sect. 3. n. 2.* Azorium *tom. 1. lib. 8. cap. 13. post §. 8. & tom. 2. lib. 6. cap. 4. q. 3.* Toletum *lib. 1. cap. 69. n. 4.* Rojas de *hæret. p. 2. n. 336. & singul. 68. n. 3.* Pegnam in *direct. p. 3. comm. 162.* & alios penes ipsos. Ratio est, quia pena infamiae, privationis officiorum & beneficiorum, &c. in casu nostro imponitur filiis in supplicium parentem, ut sic puniti à peccato avertantur, ex glossa in *Extrav. unica Joannis XXII. de penis §. filij ejus, ver. quomodolibet.* Sed hæc ratio militat etiam in filiis natis ante delictum: ergo, &c. Igitur in nostro casu filij puniuntur odio parentis, l. *quisquis, C. ad leg. Julianam majestatis, c. 2. §. credentes de hæret. in 6.* cum in filiorum persona acrius pater torquatur, quam in propria l. *isti qui dem, ff. de eod. quod met. caus.* Ergo multò magis debent dictæ penæ habere locum in filiis hæreticorum natis ante delictum, quam in aliis, cum major sit afflictio videri filium adultum, sæpe etiam bonis ditatum, & in dignitate constitutum, gradu dejecti, quam filios infantes. Adde quod contingere possit ut post delictum

hæreticus filios non suscipiat. Hæc Ricciullus ad *supra.*

RESOL. CXVII.

An Inquisitores possint punire supradictis penis filios hæreticorum, qui licet traditi fuerint Curia seculari, eos puniunt, & mortui sunt Catholici? Et an filij, revelantes sponte hæresim parentum non contrahant penas statutas contra filios hæreticorum, etiam si essent geniti post delictum patris? Et quid est dicendum, quando illorum parentes non fuerunt condemnati tanquam hæretici, sed solum tanquam suspecti de hæresi? Ex *p. 4. tract. 8. Ref. 75.*

Negativè videtur respondendum, quia supradicti filij hæreticorum non incurant in penas impositas filiis hæreticorum in *cap. statuti de hæret. in 6.* & tradunt Sordus *conf. 346. n. 24.* Tolius *lib. 1. cap. 69. n. 3.* Henriquez *lib. 14. cap. 5. n. 4.* Repertor. Inquisit. *ver. filij, & nunc & alij,* & ita teste Canter, fuisse decusum in Inquisitione Conchensis testatur Ricciullus ubi *infra.*

2. Sed his non obstantibus ego puto affirmativam sententiam tenendam esse, quam tueretur Ricciullus de *iure personarum, &c. lib. 5. cap. 30. n. 2.* & seg. Sanctarellum de *hæresi, cap. 34. dub. 2. n. 17.* Pegnam in *direct. part. 3. quest. 15.* Simanca in *cathol. instit. tit. 9. n. 17.* Decianus in *tract. crim. lib. 5. cap. 45. num. 3.* Paramus de *orig. Inquisit. lib. 3. q. 9. n. 209.* Azorius *tom. 1. lib. 8. cap. 13. q. 8. & tom. 2. lib. 6. cap. 4. quest. 3.* Burlatus *lib. 3. consil. 289. num. 16. & seg. Avila de cens. part. 7. disp. 4. dub. 3.* Suarez in *3. part. tom. 5. disp. 45. sect. 3. num. 4.* & alij penes ipsos. Ratio est, quia in dicto *cap. statutum*, ne filij incurant in penas parentum hæreticorum duo requiruntur, nempe quod pater fuerit emendatus, & reincorporatus Ecclesie unitati, ac relapsus supradictus non potest dici reincorporatus, quia Ecclesia denegat illi audientiam, *cap. super eo, sed. tit. ergo, &c.* Igitur tunc dicuntur hæretici reincorporati Ecclesie, cum per absolutionem solemnem & juridicam Ecclesie reincorporantur, & admittuntur ad parententiam juridicè implendam, & non traduntur brachio seculari, ut docet Geminianus in *cap. statutum, de hæret. in 6. n. 5.* & Archidiaconus in *cap. accusatus, eodem tit. n. 7.* & quamvis tales relapsi sint absoluti in sacramento Confessionis, talis absolutio valet tantum quoad forum interius, & ut possint recipere Eucharistiam, ut notat glossa in *cap. super eo, de hæret. in 6. ver. deneganda.* Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 14. q. 7.* Paramus ubi *supra.* & Decianus *lib. 5. cap. 45. n. 7.*

3. Notandum est tamen hic obiter quod filij sponte revelantes hæresim parentum, non contrahunt penas statutas contra filios hæreticorum, etiam si essent geniti post delictum patris, ut patet ex *cap. ut Inquisitionis, de hæret. in 6.* & tradunt Pegna in *direct. part. 3. comm. 15.* Rojas *singul. 12. n. 5.* Simanca in *cathol. instit. tit. 9. n. 46. & seg. Tabiena ver. hæret. m. 6. dist. 29. n. 5.* Castrus de *hæret. puni. lib. 2. cap. 26. & alij,* & hoc à fortiori dicendum est, quando illorum parentes non fuerunt condemnati tanquam hæretici, sed solum tanquam suspecti de hæresi, ut observat Decianus in *tract. crim. lib. 5. c. 45. num. 5.* Zanchinus de *hæret. cap. 28. n. 3.* Vmbertus Locatus in *praxi Inquisit. ver. filij, n. 4. & alij.*